

# Kirchliches Verordnungs-Blatt

für die  
Lavanter Diöcese.

**Inhalt:** I. Facultates quoad Regularium bona vendendi, locandi etc. prorogatae. — II. Encyclica Leonis PP. XIII. de Mariae Virginis Rosario. — III. Encyclica Leonis PP. XIII. de prava duellorum consuetudine. — IV. Ministerial-Erlaß betreffend die Dienstes-Verleihungs-Gebühren für geistliche Aemter und Dienstesstellen. — V. Ministerial-Erlaß, wonach in Zukunft die Nachweisung über durch Scheidung aufgelöste Ehen zu entfallen hat. — VI. Dr. Jos. Helfert's Anleitung zum geistl. Geschäftsthal XI. Aufl. — VII. Diöcesan-Nachrichten.

## I.

## Facultates per Apostolicas Litteras die 14. Maii 1880

datae quoad Regularium bona vendendi vel locandi vel oneribus gravandi concessae ad aliud decennium prorogatae.

Viennae die 10. Septembris 1891.

Excellentissime ac Reverendissime Domine.

Hisce meis litteris adjectum transmitto E. Vestrae ac Reverendissimae authenticum exemplar Pontificii Brevis sub die VI proxime elapsi mensis Maii dati, quo Sanctissimus Pater, ut expeditius ad Ecclesiae utilitatem in hac Austro-Hungarica Ditione Sanctae Sedis auctoritas intercederet, utque singularum Dioecesium necessitatibus et commodis juxta earundem Sacrorum Antistitutum preces et vota impense provideret, facultates per Apostolicas Litteras, die XIV mensis Maii 1880 datas, quoad Regularium bona vendenda vel locanda vel oneribus gravanda concessas ad aliud decennium prorogare dignatus est.

Cum peculiaris aestimationis et observantiae sensibus permaneo

E. Vestrae ac Reverendissimae

**Aloysius Galimberti** m. p.,  
Archiepiscopus Nicaenus Nuntius Apostolicus.

## LEO PP. XIII. AD FUTURAM REI MEMORIAM.

Facultates de regularium bonis in Austriaco Imperio positis alienandis, deque oneribus imponendis super iisdem bonis, quas ad supremum Apostolatus officium. Divinae Providentiae consilio eveeti ex similibus Nostris Litteris die XVI mensis Septembris anno MDCCCLXXX datis ad decennium protulimus, nunc omnibus hac de re inspectis, perpensisque, opportunum ducimus in aliud tempus prorogare. Quapropter motu proprio, certa scientia, ac matura deliberatione Nostra Apostolicae Sedis Nuntio apud Carissimum in Christo Filium Nostrum Austriae Imperatorem, Bohemiae et Hungariae Regem Apostolicum pro tempore existenti, vel ei qui ejusdem Nuntii vices pro tempore gerat, nec non Archiepiscopis, atque Episcopis et Praesulibus, ut vocant, nullius dioecesis in universa memorati Imperatoris

Austriæ ditione existentibus, iis tamen exceptis bonis, si qua in provinciis Italicis consistant, nec non Episcopo Wratislaviensi pro parte ejusdem dioecesis, quae in imperio Austriaco comprehenditur, ad aliud decennium a novissimo postremae prorogationis die computandum Facimus facultatem cuique in sua dioecesi concedenti facultates sequentibus articulis comprehensas = I<sup>o</sup> = Alienandi bona regularium ordinum usque ad summam Florenorum octo millium monetae Austriacæ, sive stabilia ea bona sint, sive in publicis nominibus consistant, adjecta tamen conditione, ut pretium ex alienatione perceptum in aliorum bonorum stabilium seu censum acquisitionem convertatur, iisque deficientibus, pretium ipsum alia ratione fructuose, ac secure collocetur, exclusa qualibet negotiatione per sacros canones ecclesiasticis viris interdicta = II<sup>o</sup> = Imponendi bonis regularium onera, quae non excedant summam Florenorum duodecim millium rationem tamen ac terminum präfiniendo, quo aes alienum dissolvatur. Quod si necessariae instaurationes ac amelioramenta in aliquo regularium fundo occurrant, neque aes alienum contrahi, et nonnisi per alicujus boni ad eosdem regulares pertinentis venditionem necessitati provideri queat, hoc in casu concedendi Facultatem perficiendi venditionem cum conditione, ut, si ex pretio percepto pars supersit, eadem fructuose collocetur rationibus superius expositis. Quod si vendenda bona sint, vel onera iisdem imponenda, quae pretium excedant superius definitum, eo in casu regulares suas deferre preces debebunt vel directe ad S. Sedem, vel ad Nuntium Apostolicum, cui proinde facultatem facimus petitam veniam concedendi, si hoc in domino expedire judicaverit = III<sup>o</sup> = Firmis manentibus ordinariis facultatibus causarum piarum pro ineundis locationibus et conductionibus ad triennium concedendi facultatem locationes et conductiones ipsas ineundi ad quindecim annos, servatis quod ad reliqua canoniceis præscriptionibus. Ad vitandos autem abusus nonnullos, et obsecundandum aliqua ratione consuetudini, quae in Austriaco imperio invaluit, ut bonorum ecclesiasticorum possessores, a respectivis conductoribus reditus seu præstationes accipiant, facultatem concedendi reditus ipsos, seu præstationes percipiendi in antecessum ita tamen, ut illae quoad fundos urbanos non excedant summam, quae in semestri spatio a conductore persolvenda sit; quod vero spectat ad bona rustica, dummodo summam non praetergrediat, quae a conductore per anni spatium persolvatur = IV<sup>o</sup> = In casibus urgentis necessitatis atque utilitatis religiosae Familiae, in quibus ad alienationem seu onerum impositionem sine mora deveniendum sit, facultatem largimur absque præfinitæ pecuniae summa alienationem perficiendi, vel aes alienum contrahendi, ea tamen adjecta conditione, ut in posterum ea de re ad Nuntium Apostolicum, sive directe ad Sanetam Sedem singillatim accurateque referatur. Porro in omnibus et singulis casibus integrum semper esse volumus facultatem postulationes ad Apostolicam Sedem directe deferendi. Volumus præterea, ut in singulis hujusmodi concessionum casibus sive ab Apostolico Nuntio, sive ab Antistitibus dioecesanis Superior localis et respectivum Capitulum religiosae familie audiatur, atque canonice præscriptiones accurate serventur, ac præsertim Constitutio fel. me. Pauli II Praedris Nostri, quae incipit „Cum in omnibus“ edita die XI Maii MCDLXV, ac proinde in omnibus et singulis facultatibus, seu concessionibus volumus et mandamus, ut pateat, ac probata sit religiosae familie necessitas vel utilitas, eumque in finem in singulis item casibus non modo Superioris localis et respectivi Capituli consilium, ut supra dictum est, audiatur, verum etiam honesti nominis et probati judicij viri antea consultantur. Praecipimus denique, ut in omnibus et singulis actis venditionis seu alienationis, et onerum impositionis, atque etiam locationis ad annos quindecim mentio expresse fiat facultatis ab Apostolica Sede concessae. Haec volumus, jubemus, mandamus, non obstantibus Pauli II Praedecessoris Nostri aliorumque Praecessorum Nostrorum de rebus Ecclesiae non alienandis, aliisque Constitutionibus et Ordinationibus speciali licet mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die I Septembbris MDCCCLXXXI.

Pontificatus

Nostri

Anno Decimo Quarto

Loco † sigilli

Pro Domino **Card. Ledochowski**

T. Archiepiscopus Seleuc. Subst.

II.

**Epiſtola Encyclica Leonis PP. XIII. de Mariae Virginis  
Rosario.**

VENERABILIBVS FRATRIBVS PATRIARCHIS, PRIMATIBVS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS  
ALIISQVE LOCORVM ORDINARIIS  
PACEM ET COMMVNIONEM CVM APOSTOLICA SEDE HABENTIBVS.

**LEO PP. XIII.**

VENERABILES FRATRES  
SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Octobri mense adventante, qui sacer Virgini beatissimae a Rosario dicatusque habetur, gratissima Nobis recordatione succurrit, quantopere hoc vobis, Venerabiles Fratres, superioribus annis commendaverimus, ut fidelium ubique greges, auctoritate sollertiaque vestra excitati, pietatem intenderent et augerent suam erga magnam Dei Matrem, potentem christiani populi adiutricem, ad eam toto ipso mense adirent suppliciter, eamque invocarent sanctissimo Rosarii ritu, quem Ecclesia, in dubiis praesertim rebus difficillimisque temporibus, adhibere et celebrare, optato semper exitu, consuevit. — Eamdem voluntatem Nostram, hoc rursus anno, curae est patefacere, easdemque ad vos mittere atque etiam duplicare hortationes; id quod suadet urgetque Ecclesiae caritas, cuius labores, potius quam levamentum acceperint, et numero in dies et acerbitate ingravescunt. Mala omnibus cognita deploramus: quae custodit Ecclesia et tradit dogmata sacrosancta, oppugnata confixa; integritas quam tuetur christiana virtutis, derisui habita; in saecorum antistitum ordinem, maxime autem in romanum Pontificem, multis modis obtrectatio instructa, invidia conflata; in ipsumque Christum Deum, per impudentissimam audaciam et nefarium scelus, impetus factus, quasi conantum redemptionis eius divinum opus, quod numquam vis ulla tollat et deleat, tollere funditus et delere. — Ista quidem haud nova accident militanti Ecclesiae: quae, praemonente apostolos Iesu, ut homines veritatem edoceat atque ad salutem provehat sempiternam, in aciem quotidie dimicationemque venire debet; quaeque reapse per saeculorum tractus animosa ad martyrium depugnat, nulla re laetata et gloriata magis, quam quod suum possit cum Auctoris sui sanguine consecrare, in quo sibi promissae victoriae spes exploratissima continetur. — Neque tamen diffitendum, quam gravi tristitia optimum quemque afficiat haec assidua dimicandi contentio. Magnae nimurum tristitiae causa, tam esse multos, quos pravitates errorum et in Deum protervia longe abducant agantque praecipites; tam multos, qui ad quamlibet religionis formam se aequo habentes, divinam iamiam exuere fidem videantur; neque ita paucos esse homines catholicos, qui religionem nomine tenus retineant, non re debitisque colant officiis. Id praeterea multo gravius angit et vexat animum, reputare, tam luctuosam malorum perniciem inde potissimum ortam, quod in temperatione civitatum vel nullo iam loco Ecclesia censetur, vel saluberrimae virtuti eius dedita opera repugnatur; qua in re appetat magna quidem et iusta vindicis Dei animadversio, qui recedentes a se nationes miserrima mentium caecitate sinat hebescere.

Quapropter res ipsa clamat, vehementius clamat in dies, necesse omnino catholicos homines precibus ad Deum et obsecrationibus uti alacres perseverantes, *sine intermissione*:<sup>1)</sup> idque non apud se quisque tantum, sed eo magis publice faciant oportet, sacris in aedibus congregati, enixe flagitantes, ut Ecclesiam providentissimus Deus *ab importunis et malis hominibus*<sup>2)</sup> liberet, perturbatasque gentes ad sanitatem et mentem luce et caritate Christi reducat. — Res enimvero supra hominum fidem mirabilis! Viam suam laboris plenam saeculum quidem insistit, fretum opibus, vi, armis, ingenio: securo Ecclesia plenoque

<sup>1)</sup> I. Thes. V, 17.

<sup>2)</sup> II. Thes. III, 2.

gradu aetates decurrit, confisa unice Deo, ad quem diurna et nocturna prece oculos et manus attollit. Ipsa enim, quamquam cetera, quaecumque ex Dei cura tempus affert humana praesidia, prudens non neglit, non in iis tamen sed potius in orando, comprecando, obsecrandoque Deo, praecipuam sui spem reponit. Inde habet quo vitalem spiritum alat et roboret, quia sibi assiduitate precandi contingit feliciter, ut, ab humanarum rerum vicissitudine intacta et in perpetua divini Numinis coniunctione, vitam ipsam Christi Domini hauriat ac tranquille placideque traducat; fere ad Christi ipsius similitudinem, cui erueiatuum diritas, quos in commune est bonum perpessus, nihil admodum de proprio sibi beatissimo lumine et gaudio neque minuit neque ademit.

Quae quidem magna christiana sapientiae documenta tenuere semper religioseque coluerunt quotquot christianum nomen digna sunt virtute profesi: quorum ad Deum preces maiores cerebrioresque esse solebant, siqua Ecclesiae sanctae vel summo eius rectori calamitas ab nequissimorum hominum fraudibus et violentia incidisset. — Extat huius rei exemplum insigne in fidelibus exorientis Ecclesiae, dignum plane, quod omnibus deinceps futuris ad imitandum proponeretur. Petrus, vicarius Christi Domini, summus Ecclesiae antistes, in vincula, Herodis scelesti iussu, traditus erat certaeque destinatus morti; illinc ut evaderet nihil in quoquam erat opis, nihil auxilii. At illud vero auxilii non deerat quod precatio sancta a Deo conciliat: scilicet Ecclesia, quod divina refert historia, impensisimas pro illo preces fundebat: *Oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo:*<sup>1)</sup> agebatque omnes eo ardenter precandi studium, quo aerior aerumnae tantae sollicitudo mordebat. Ut vero orantibus vota successerint, comperta res est: Petrum mirifice liberatum christianus populus memori semper laetitia concelebrat. — Insignius autem exemplum divinumque edidit Christus, quo Ecclesiam suam, non solum praeceps, verum etiam de se ipse ad omnem eruditum et formaret sanctitatem. Qui namque in omni vita tam frequentem et effusam precando operam dederat, ipsem sub horas extremas, quum in Gethsemani horto, perfuso immensa amaritie animo, oblangueret ad mortem, tum vero Patrem, non orabat modo, sed *prolixius orabat.*<sup>2)</sup> Neque sibi profecto id fecit, nihil timenti nihil egenti, Deo; sed fecit nobis, fecit Ecclesiae suae; cuius futuras preces et lacrimas iam tum libens volensque in se recipiens secunda gratiae efficiebat.

Ubi vero per mysterium Crucis generis nostri salus peracta, atque eiusdem administra salutis, Ecclesia, triumphante Christo, condita in terris riteque constituta est, novus ex eo tempore in populum novum ordo providentis Dei incepit valuitque. — Divina consilia addebet magna cum religione intueri. Filius Dei aeternus, quum, ad hominis redemptionem et decus, hominis naturam vellet suscipere, eaque re mysticum quoddam cum universo humano genere initurus esset coniubium, non id ante perfecit, quam liberrima concensio accessisset designatae Matris, quae ipsius generis humani personam quodammodo agebat, ad eam illustrem verissimamque Aquinatis sententiam: *Per annuntiationem expectabatur consensus Virginis, loco totius humanae naturae.*<sup>3)</sup> Ex quo non minus vere proprieque affirmare licet, nihil prorsus de permagno illo omnis gratiae thesauro, quem attulit Dominus, siquidem *gratia et veritas per Iesum Christum facta est*<sup>4)</sup>, nihil nobis, nisi per Mariam, Deo sic volente, impertiri: ut, quo modo ad summum Patrem, nisi per Filium, nemo potest accedere, ita fere, nisi per Matrem, accedere nemo possit ad Christum. — Quantum in hoc Dei consilio et sapientiae et misericordiae eluet! quanta ad imbecillitatem fragilitatemque hominis convenientia! Cuius namque bonitatem credimus laudamusque infinitam, eiusdem infinitam credimus et veremur iustitiam; et quem amantissimum Servatorem, sanguinis animaeque prodigum, redamamus, eumdem non exorabilem iudicem pertimescimus: quare factorum conscientia trepidis opus omnino deprecatore ac patrono, qui et magna ad Deum polleat gratia, et benignitate sit animi tanta, nullius ut recuset desperatissimi patrocinium, afflictosque iacentesque in spem erigit elementiae divinae. Ipsa praeclarissime Maria: potens ea quidem, Dei parens omnipotentis, sed, quod sapit dulcior,

<sup>1)</sup> Act. XII, 5.

<sup>2)</sup> Luc. XXII, 43.

<sup>3)</sup> III. q. XXX, a. 1.

<sup>4)</sup> Joan. I, 17.

facilis, perbenigna, indulgentissima. Talem nobis praestitit Deus, cui, hoc ipso quod Unigenae sui matrem elegit, maternos plane indidit sensus, aliud nihil spirantes nisi amorem et veniam; talem facto suo Iesus Christus ostendit, quum Mariae subesse et obtemperare ut matri filius sponte voluit: talem de cruce praedicavit, quum universitatem humani generis, in Ioanne discipulo, curandam ei fovendamque commisit; talem denique se dedit ipsa, quae eam immensi laboris haereditatem, a moriente Filio reliquam, magno complexa animo, materna in omnes officia confessim coepit impendere. — Tam carae misericordiae consilium in Maria divinitus institutum et Christi testamento ratum, inde ab initio sancti apostoli priscique fideles summa cum laetitia senserunt; senserunt item et docuerunt venerabiles Ecclesiae Patres, omnesque in omni aetate christiana gentes unanimae consensere: idque ipsum, vel memoria omni litterisque silentibus, vox quaedam e cuiusque christiani hominis pectore erumpens, loquitur disertissima. Non aliunde est sane quam ex divina fide, quod nos praepotenti quodam impulsu agimur blandissimeque rapimur ad Mariam; quod nihil est antiquius vel optatius, quam ut nos in eius tutelam fidemque recipiamus, cui consilia et opera, integritatem et poenitentiam, angores et gaudia, preces et vota, nostra omnia plene credamus; quod omnes incunda spes et fiducia tenet, fore ut, quae Deo minus grata a nobis exhiberentur indignis, ea, Matri sanctissimae commendata, sint grata quum maxime et accepta. Quarum veritate et suavitate rerum, quantam animus capit consolationem, tanta eos aegritudine dolet qui, divina fide carentes, Mariam neque salutant neque habent matrem: eorumque amplius dolet miseriam qui, fidei sanctae quum sint participes, bonos tamen nimii in Mariam profusique cultus audent arguere: qua re pietatem, quae liberorum est, magnopere laedunt.

Per hanc igitur, qua Ecclesia asperrime conflictatur, malorum procellam, omnes filii eius pii facile vident, quam sancto officio adstringantur supplicandi vehementius Deo, et qua praecipue ratione niti debeant, ut eadem supplicationes maximam efficacitatem sint habiturae. Religiosissimorum patrum et maiorum persecuti exempla, ad Mariam sanctam Dominam nostram perfugiamus; Mariam Matrem Christi et nostram appellemus concordesque obtestemur: *Monstra te esse matrem, sumat per te preces, qui pro nobis natus, tulit esse tuus.*<sup>1)</sup> — Iamvero, de variis divinae Matris colendae formulis et rationibus, quum eae sint praecoptandae, quas et per se ipsas potiores et illi gratiores esse noverimus, Rosarium idcirco nominatum indicare placet impenseque inculcare. Huic precandi ritui nomen *coronae* communis sermone adhaesit, hac etiam causa, quod magna Iesu et Matris mysteria, gaudia, dolores, triumphos, felicibus reddit sertis connexa. Quae fideles mysteria augusta, si pia commentatione ex ordine recolant et contemplentur, mirum quantum adiumenti trahere sibi possunt tum ad fidem alendam et ab ignorantia aut errorum peste tutandam, tum etiam ad virtutem animi relevandam et sustinendam. Hoc etenim modo orantis cogitatio et memoria, fidei lumine praelucente, ad ea mysteria iucundissimo studio feruntur, in eisque et defixa et disurrentes, satis admirari non queunt restitutae humanae salutis inenarrabile opus, tam largo pretio rerumque tantarum serie confectum: tum vero animus super his caritatis divinae argumentis amore et gratia exardescit, spem confirmat et auget, cupidus arrectusque ad caelestia praemia, iis a Christo parata, qui se ad ipsum imitatione exempli et communione dolorum adiunxerint. Haec inter funditur verbis precatio, ab ipso Domino, a Gabriele Archangelo, ab Ecclesia tradita: quae, plena laudum et salutarium votorum, certo varioque ordine iterata continuata, novos usque habet dulcesque fructus pietatis.

Magnam autem huiusmodi precatiōne caelestis ipsa Regina adiecisse virtutem ideo credenda est, quod suo numine et instinetu ab inclito patre Dominico invecta sit et propagata, per aetatem catholicō nomini adversissimam, eamdemque huic nostrae parum dissimilem, quasi bellicum instrumentum ad hostes fidei debellandos praevalidum. — Secta enim Albigensium haereticorum, qua clandestina qua manifesta, in regiones invaserat multas; tetrica Manichaeorum progenies, quorum immanes excitabat errores, simulationesque et caedes et capitale in Ecclesiam odium nimis multum referebat. Hominum praesidiis contra perniciossimam turbam et insolentem vix iam erat fidendum, quum praesens a Deo

<sup>1)</sup> Ex sacr. liturg.

venit, Rosarii marialis ope, subsidium. Sic, favente Virgine, gloriosa haeresum omnium victoriee, vires impiorum labefactatae et perfractae, salva quam plurimis et incolumis fides. Similia multa apud quasque gentes vel depulsa pericula vel beneficia impetrata, satis pervagata sunt, quae vetus aequa recensque historia lueulentissimis testimoniis commemorat. — Id quoque illustre argumentum accedit, quemadmodum, statim ab instituta Rosarii prece, eius passim apud omnes civium ordines usurpata sit et frequentata consuetudo. Enimvero divinae Matri, quae tot tantisque laudibus una omnium praecellentissima nitet, religio christiani populi titulis quidem insignibus modisque multis habet honorem: hunc tamen Rosarii titulum, hunc modum orandi, in quo tamquam fidei tessera et summa debiti ei cultus inesse videtur, semper adamavit singulariter, eoque privatim et publice, in domo et familia, sodalitatibus constitutis, altaribus dedicatis, circumductis pompis, usa praecipue est, rata, nullo se posse meliore pacto ipsius vel sacra sollemnia ornare vel patrocinium et gratias demereri.

Neque illud silentio praetermittendum, quod singularem quandam Dominae nostrae providentiam in hac re illustrat. Nempe, quum, diurnitate temporis, studium pietatis in quapiam gente deferuisse visum est et nonnulli de hac ipsa precandi consuetudine esse remissum, quam mire postea, sive re publica in formidolosum discrimen adducta, sive qua necessitate premente, Rosarii institutum, prae ceteris religionis auxiliis, communibus votis revocatum atque in suum honoris locum restitutum est lateque rursus viguit salutare. Eius rei exempla nihil opus a praeterita aetate petisse, praeclarum hac nostra in promptu habentibus. Hac namque aetate, quae, uti principio monuimus, acerba adeo Ecclesiae est, Nobis autem, ad gubernacula eius divino consilio sedentibus, acerbissima, spectare et admirari licet, quam erectis ineensisque studiis, in omni loco et gente catholici nominis, mariale Rosarium colatur et celebretur: quod facti quum Deo verius, moderanti agentique homines, quam ulli hominum prudentiae et navitati recte sit tribuendum, animum Nostrum admodum solatur et reficit, magna que compleat fiducia de renovandis Ecclesiae amplificandisque, auspice Maria, triumphis.

Sunt autem qui haec ipsa a Nobis commemorata probe ii quidem sentiant, sed quia nihil adhuc de speratis rebus, de pace in primis et tranquillitate Ecclesiae, impetratum, immo fortasse tempora deterius misceri vident, eam idecirco diligentiam et affectionem precandi velut defatigati et diffisi intermittent. Homines istiusmodi videant ipsi ante et laborent, ut, quas Deo adhibeant preces, aptis virtutibus, ex Christi Domini praeceptione, ornentur: quae si tales fuerint, considerent porro, indignum esse et nefas, velle se tempus subveniendi modumque constitutere Deo, nobis nihil quidquam debenti, ita ut quum audit orantes et coronat merita nostra, nihil aliud coronet quam munera sua<sup>1</sup>), et quum minus sententiae nostrae obsecundat, providenter agat cum filiis pater bonus, eorum miserans insipientiam, consulens utilitati. — Quas vero preces, ut propitiemus Ecclesiae Deum, cum suffragiis coniunctas Caelitum sanctorum, supplices deferimus, eas ipse numquam non benignissime admittit et explet Deus, tum quae bona Ecclesiae attingunt maxima et immortalia, tum quae attingunt minora et huius temporis, opportuna tamen ad illa. Quippe istis precibus pondus et gratiam, sane plurimam, precibus addit meritisque suis Christus Dominus, qui dilexit Ecclesiam, et seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret... ut exhiberet ipse sibi gloriosam Ecclesiam<sup>2</sup>), idem summus eiusdem Pontifex, sanctus, innocens, semper vivens ad interpellandum pro nobis, cuius deprecationem supplicationemque semper evenire divina fide tenemus. — Quod enim spectat ad bona Ecclesiae externa et huius vitae, palam est, rem ipsi saepius esse cum adversariis malevolentia et potentia acerimis; ab eis nimium sibi dolendum facultates direptas, libertatem deminutam et oppressam, lacessitam et despiciatam auctoritatem, damna postremo et hostilia omne genus multa. Quorum improbitas, si quaeritur, cur non eo usque iniuriae, quo deliberatum habent et committuntur, re tandem plena procedat; Ecclesia contra, tot inter rerum casus, eadem illa sua amplitudine et gloria, vario quamquam modo, emineat semper atque adeo increscat; utriusque rei praecipuum

<sup>1</sup>) S. August. Ep. xciv al. 105 ad Sextum, c. v. n. 19.

<sup>2</sup>) Ephes. V, 25—27.

causam rectum est a virtute arcessere comprecantis Deum Ecclesiae: nec enim satis assequitur humana ratio quomodo restrictis ita finibus imperiosa nequitia consistat, Ecclesia vero, in angustum compulsa, nihilominus tam magnifice vincat. Idem eo rectius existit in eo bonorum genere, quibus Ecclesia homines ad ultimi boni adeptionem proxime adducit. Ad hoc enim munus quum nata sit, precibus suis posse multum debet, ut divinae in illos providentiae misericordiaeque ordo exitum habeat et perfectionem: atque ita homines cum Ecclesia et per Ecclesiam orantes, ea demum impetrant atque obtinent, quae *Deus omnipotens ante saecula dispositus donare*<sup>1)</sup>. Ad alta providentis Dei consilia mentis humanae acies in praesentia deficit: sed aliquando erit, quum causas consecutionesque rerum Deo ipso apertas pro benignitate sua monstrante, dilucidum patebit, orandi munus quantam in hoc rerum genere vim habuerit utilitatemque impetrandi. Inde effectum patebit, quod sese multi, in tanta depravati saeculi corruptela, integros praestiterint atque inviolatos *ab omni inquinamento carnis et spiritus, perficientes sanctificationem in timore Dei*<sup>2)</sup>; quod alii, in eo dum essent ut flagitio indulgerent, illico sibi temperaverint, ex ipsoque periculo et tentamine bonos ceperint auctus virtutis; quod prolapsis aliis impulsio quaedam permoverit animos ut erigerent se et in complexum Dei miserentis occurrerent. — Haec igitur omnes apud se pendentes, fallaciis antiqui hostis etiam atque etiam obsecramus, ne cedant, neve ullâ omnino causa a studio cessent orandi; verum in eo perseveranter consistant, *sine intermissione* consistant. Prima sit illis cura de summo bono, aeterna omnium salute, deque incolumitate Ecclesiae exposcenda: tum licet cetera bona ad usum commoditatemque vitae petant a Deo, modo voluntatis eius aquissimae acquiescant, eidem pariter, optata vel concederit vel abnuerit, agentes gratias, beneficentissimo patri: ea denique religione et pietate cum Deo versentur, qua decet maxima et oportet, qua viri sancti consueverunt et ipse egit sanctissimus Redemptor et Magister noster, *cum clamore valido et lacrimis*<sup>3)</sup>.

Hie officium et paterna caritas postulat, ut in universos Ecclesiae filios non precum modo, sed etiam poenitentiae sanctae a largitore bonorum Deo spiritum imploremus: quod dum toto animo facimus, omnes et singulos ad hanc ipsam virtutem, cum altera coniunctissimam, pari studio adhortamur. Scilicet facit precatio, ut animus sustentetur, instruatur ad fortia, ad divina concendat: facit poenitentia, ut nobismetipsis imperemus, corpori maxime, gravissimo, ex veteri noxa, rationis legisque evangelicae inimico. Quae virtutes, perspicuum est, aptissime inter se cohaerent, inter se adiuvant, eodemque una conspirant, ut hominem, caelo natum, a rebus eaducis abstrahant evehantque propemodum ad caelestem cum Deo consuetudinem: fit contra, ut, cuius animus cupiditatibus aestuet illecebrisque sit emollitus, iejunus ille fastidiat suavitates rerum caelestium, neque alia sit precatio eius nisi frigida vox et languida, indigna sane, quam Deus excipiat. — Sunt ante oculos exempla poenitentiae hominum sanctorum, quorum preces et obsecrationes, eâ ipsa causa, magnopere Deo placuisse atque etiam ad prodigia valuisse sacris fastis docemur. Mentem illi et animum libidinesque assidue regebant, domabant: doctrinae Christi Ecclesiaeque eius documentis ac praeceptis summa solebant consensione et demissione adhaerescere; velle nolle nihil, nisi Dei numine explorato, nihil quidquam agendo spectare, nisi eius gloriae incrementa; cupiditates acriter coercere et frangere, corpus dure inclementerque habere, incundis rebus neque iis noxiis virtutis gratiâ abstinere. Quare merito poterant, quod Paulus Apostolus de se, idem ipsi usurpare: *nostra autem conversatio in caelis est*<sup>4)</sup>: eamdemque ob causam tantum in eorum obsecrationibus ad propitiandum exorandumque Deum efficacitatis. — Non omnes omnino posse adeo nec debere apparet: attamen ut consentanea sibi afflictatione vitam moresque suos unusquisque castiget, rationes id exigunt iustitiae divinae, cui satis de commissis faciendum restriete est; praestat autem voluntariis, dum vita sit, id fecisse poenis, unde virtutis praemium accedat. — Ad haec, quando in mystico Christi corpore, quae est Ecclesia, omnes tamquam membra coalescimus et vigemus, hoc, Paulo auctore, consequitur,

<sup>1)</sup> S. Th. II-II, q. LXXXIII, a. 2, ex S. Greg. M.

<sup>2)</sup> II Corinth. VII, 1.

<sup>3)</sup> Hebr. V, 7.

<sup>4)</sup> Philip. III, 20.

ut, quemadmodum laetanti qua de re membro membra cetera collaetantur, ita pariter dolenti condoleant, hoc est christianis fratribus, vel animo aegris vel corpore, fratres ultro subveniant, et, quantum in ipsis est, curationem adhibeant: *Pro invicem sollicita sint membra. Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra; sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra.* Vos autem estis corpus Christi et membra de membro<sup>1)</sup>). In hoc autem caritatis specimine, ut quis Christi exemplo insitens, qui vitam ad omnium nostrum redimenda peccata immenso amore profudit, luenda sibi aliorum admissa suscipiat, in hoc demum illud continetur magnum vinculum perfectionis, quo fideles inter se et cum caelestibus civibus arctissimeque cum Deo iunguntur. — Ad summam, sanctae poenitentiae actionem varia atque industria est tamque late pertinet, ut eam quisque, pia modo et alaci voluntate, per frequenti possit nec laboriosa facultate exercere.

Restat, Venerabiles Fratres, ut, quae vestra est singularis et eximia, quum in sanctissimam Dei Matrem pietas, tum in christianum gregem caritas et sollertia, commonitionis hortationisque Nostrae exitum, opera vestra, perquam optimum, Nobis polliceamur; gestisque animus fructus eos, quos pluries splendide declarata catholicorum in Mariam religio tulit, iam nunc laetissimos uberrimosque praecepere. Vobis igitur et vocantibus et excitantibus et praeeuntibus, fideles, hoc praesertim proximo mense, ad aras sollemnes augustae Reginae et benignissimae Matris convenient, concurrant, atque mystica ei sarta, acceptissimo Rosarii ritu, filiorum more contexant et praebant: integris per Nos atque ratis, quae antehac in hac re a Nobismetipsis praescripta edita et dona indulgentiae sacrae concessa<sup>2)</sup>). — Quam praeclarum et quanti erit, in urbibus, in pagis, in villis, terra marique, quacumque patet catholicus orbis, multa piorum centena millia, sociatis laudibus foederatisque precibus, una mente et voce singulis horis Mariam consulutare, Mariam implorare, per Mariam sperare omnia! Ab ipsa omnes fidentes contendant ut, exorato Filio, aberrantes nationes ad christiana redeant instituta et praecpta, in quibus salutis publicae firmamentum consistit, unde et expetitae pacis et verae beatitatis copia efflorescit. Ab ipsa eo impensis contendant, quod bonis omnibus exoptatissimum esse debet, ut Ecclesia mater libertate potiatur tranquilleque fruatur sua; quam non alio illa refert nisi ad summas hominum procurandas rationes, a qua singuli et civitates nulla usquam damna, plurima omni tempore et maxima beneficia senserunt.

Iam vobis, Venerabiles Fratres, adprecante sacratissimi Rosarii Regina, largiatur Deus munera bonorum caelestium, unde ad partes pastoralis officii sancte obeundas auxilia et vires suppetant in dies ampliora: cuius rei esto auspicium et pignus Apostolica Benedictio, quam vobis ipsis et clero et populis eiusus vestrum curae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XXII Septembris an. MDCCCXCI, Pontificatus Nostri Decimoquarto.

LEO PP. XIII.

NB. Diese Encyclica konnte, weil zu spät eingelangt, nicht mehr rechtzeitig mitgetheilt werden.

<sup>1)</sup> I Corinth. XII, 25—27.

<sup>2)</sup> Cfr. Ep. Encycl. *Supremi Apostolatus*, die I sept. an. MDCCCLXXXIII: Ep. Encycl. *Superiore anno*, die XXX aug. an. MDCCCLXXXIV: Decret. S. R. C. *Inter plurimos*, die XX aug. an. MDCCCLXXXV: Ep. Encycl. *Quamquam pluries*, die XV aug. an. MDCCCLXXXIX.

III.

**Epistola Encyclica Leonis PP. XIII. de prava duellorum consuetudine.**

DILECTO FILIO NOSTRO

FRANCISCO DE PAVLA S. R. E. CARDINALI SCHÖNBORN, ARCHIEPISCOPO PRAGENSI,  
VENERABILI FRATRI PHILIPPO, ARCHIEPISCOPO COLONIENSI,

CETERISQVE VENERABILIBVS FRATRIBVS ARCHIEPISCOPIS ET EPISCOPIS ALIISQVE  
LOCORVM ORDINARIIS IN IMPERIO GERMANICO ET AVSTRO-HVNGARICO.

**LEO PP. XIII.**

DILECTE FILI NOSTER

VENERABILES FRATRES

SALVTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Pastoralis officii conscientia et proximorum caritate permoti, datis ad Nos superiore anno litteris, referendum censuistis de singularium certaminum, quae *duella* vocant, in populo vestro frequentia. Genus istud dimicandi, velut ius moribus constitutum, non sine dolore significabatis etiam inter catholicos versari: rogabatis pariter, ut deterrere homines ab istiusmodi errore vox quoque Nostra conaretur. — Est profecto error iste admodum perniciosus, nec sane finibus circumscribitur civitatum vestrarum, sed excurrit multo latius, ita ut huius expers contagione mali vix ulla gens reperiatur. Quamobrem collaudamus studium vestrum, et quamvis cognitum perspectumque sit quid, hac in re philosophia christiana, utique consentiente ratione naturali, praescribat, tamen, cum prava duellorum consuetudo christianorum praecceptorum obliuione maxime alatur, expediet atque utile erit id ipsum per Nos paucis revocari.

Scilicet utraque divina lex, tum ea quae naturalis rationis lumine, tum quae litteris divino afflatu perscriptis promulgata est, districte vetant, ne quis extra causam publicam hominem interimat aut vulneret, nisi salutis suae defendendae causa, necessitate coactus. At qui ad privatum certamen provocant, vel oblatum suscipiunt, hoc agunt, huc animum viresque intendunt, nulla necessitate adstricti, ut vitam eripiant aut saltem vulnus inferant adversario. Utraque porro divina lex interdicit, ne quis temere vitam eripiatur suam, gravi et manifesto obiciens discriminis, quum id nulla officii aut caritatis magnanimae ratio suadeat; haec autem caeca temeritas, vitae contemptrix, plane inest in natura duelli. Quare obscurum nemini aut dubium esse potest, in eos, qui privatim praelium conserunt singularē, utrumque cadere et seclus alienae cladis, et vitae propriae diserimen voluntarium. Demum vix ulla pestis est, quae a civilis vitae disciplina magis abhorreat et iustum civitatis ordinem pervertat, quam permissa civibus licentia, ut sui quisque adsertor iuris privata vi manuque, et honoris, quem violatum putet, ultor existat.

Ob eas res Ecclesia Dei, quae custos et index est cum veritatis, tum iustitiae et honestatis, quarum complexu publica pax et ordo continetur, nunquam non improbavit vehementer, et gravioribus quibus potuit poenis reos privati certaminis coercendos curavit. Constitutiones Alexandri III. decessoris Nostri libris insertae canonici iuris privatas hasce concertationes damnant et execrantur. In omnes. qui illas ineunt, aut quoquo modo participant, singulari poenarum severitate animadvertisit Tridentina Synodus, quippe quae praeter alia, etiam ignominiae notam iis inussit, electosque Ecclesiae gremio, honore indignos censuit, si in certamine occumberent, ecclesiasticae sepulturae. Tridentinas sanctiones ampliavit explicavitque decessor Noster Benedictus XIV. in Constitutione data die X. Novembris anno MDCCLII, cuius initium *Detestabilem*. Novissimo autem tempore f. r. Pius IX. in litteris apostolicis, quarum est initium *Apostolicae Sedis*, per quas censurae latae sententiae limitantur, aperte declaravit, ecclesiasticas

poenas committere non modo qui duello confligant, sed eos etiam quos patrinos vocant, itemque et testes et consciens. — Quarum legum sapientia eo luculentius emicat, quo ineptiora ea esse liquet, quae ad immanem duelli morem tuendum vel excusandum solent proferri. Nam quod in vulgus seritur, certamina id genus natura sua comparata esse ad maculas eluendas, quas civium honori alterius columnia aut convictionem induxerit, id est eiusmodi ut neminem possit nisi vecordem fallere. Quamvis enim e certamine victor decedat qui, iniuria accepta, illud indixit, omnium cordatorum hominum hoc erit iudicium, tali certaminis exitu viribus quidem ad luctandum, aut tractandis armis meliorem lacescentem probari, non ideo tamen honestate potiorem. Quod si idem ipse ceciderit, cui rursus non inconsulta, non plane absone haec honoris tuendi ratio videatur? Evidem paueos esse remur, qui hoc obeant facinus, opinionis errore decepti. Omnino cupiditas ultioris est, quae viros superbos et acres ad poenam petendam impellit: qui si elatum animum moderari, Deoque obtemperare velint, qui homines iubet diligere inter se amore fraterno, et quemquam violari vetat, qui ueliscendi libidinem in privatis hominibus gravissime damnat, ac poenarum repetendarum sibi unice reservat potestatem, ab immani consuetudine duellorum facile discederent.

Neque illis qui oblatum certamen suscipiunt, iusta suppetit excusatio metus, quod timeant se vulgo segnes haberi, si pugnam detrectent. Nam si officia hominum ex falsis vulgi opinionibus dimetienda essent, non ex aeterna recti iustique norma, nullum esset naturale ac verum inter honestas actiones et flagitiouse facta disserimen. Ipsi sapientes ethnici et norunt et tradiderunt, fallacia vulgi iudicia spernenda esse a forti et constanti viro. Iustus potius et sanctus timor est, qui avertit hominem ab iniqua caede, eumque facit de propria et fratrum salute sollicitum. Immo qui inania vulgi aspernatur iudicia, qui contumeliarum verbera subire mavult, quam ulla in re officium deserere, hunc longe maiore atque excelsiore animo esse perspicitur, quam qui ad arma procurrit, lacesitus iniuria. Quin etiam, si recte diiudicari velit, ille est unus, in quo solida fortitudo eluceat, illa, inquam, fortitudo, quae virtus vere nominatur, et cui gloria comes est non fucata, non fallax. Virtus enim in bono consistit rationi consentaneo, et nisi quae in iudicio nitatur approbantis Dei, stulta omnis est gloria.

Denique tam perspicua duelli turpitudo est, ut illud nostrae etiam aetatis legumlatores, tametsi multorum suffragio patrocinoque fultum, auctoritate publica poenisque propositis coereendum duxerint. Illud haec in re praeposterum maximeque perniciosum, quod scriptae leges re factisque fere eludantur: idque non raro scientibus et silentibus iis, quorum est puniri sontes, et, ut legibus pareatur, providere. Ita fit, ut passim ad singularia certamina descendere, spreta maiestate legum, impune liceat.

Inepta etiam atque indigna sapienti viro eorum est opinio, qui utut togatos cives ab hoc genere certaminum arcendos putent, ea tamen permittenda censem militibus, quod tali exercitatione acui dicant militarem virtutem. Primum quidem honesta et turpia natura differunt, nec in contraria mutari ob diversum personarum statum ullo pacto possunt. Omnino homines, in quacumque conditione vitae, divina ac naturali lege omnes pari modo tenentur. Praeterea ratio huiusce indulgentiae erga milites ab utilitate publica petenda foret, quae numquam tanta esse potest, ut eius obtenu naturalis divinique iuris vox conticescat. Quid quod ipsa utilitatis ratio manifesto deficit? Nam militaris virtutis incitamenta eo spectant, ut civitas sit adversus hostes instructior. Idne vero effici poterit ope illius consuetudinis, quae suapte natura eo spectat, ut suborto inter milites dissidio, cuius causae haud rarae sunt, e singulis partibus defensorum patriae necetur alteruter?

Postremo recens aetas, quae se iactat humaniore cultu morumque elegantia longe superiores saeculis antecellere, parvi pendere vetustiora instituta consuevit ac nimium saepe respuere, quidquid eum colore discrepet recentioris urbanitatis. Quid est igitur, quod has tantummodo rudioris aevi ac peregrinae barbariae ignobiles reliquias, duelli morem intelligimus, in tanto humanitatis studio non repudiatur?

Vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec, quae breviter attigimus, inculcare diligenter populorum vestrorum animis, ne falsas hac de re opiniones temere excipiant, neu ferri se leviorum hominum iudicio patientur. Date operam nominatim, ut iuvenes mature assuescant id de duello sentire et indicare

quod, consentiente naturali philosophia, iudicat ac sentit Ecclesia; ab eoque iudicio normam agendi constanter sumant. Immo quo modo alicubi receptum cunsuetudine est, ut catholici praesertim florentis aetatis sibi sponte perpetuoque interdieant nomen dare societatibus non honestis, pari modo opportunum ducimus ac valde salutare, eosdem velut foedus inter se facere, data fide nullo se tempore nullaque de causa duello dimicatuos.

Supplices a Deo petimus, ut communia conata nostra virtute caelesti corroboret, quodque pro salute publica, pro integritate morum vitaeque christiana volumus id benigne largiatur. Divinorum vero munerum auspicem itemque benevolentiae Nostrae testem vobis, Venerabiles Fratres, Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die XII. Septembris an. MDCCCXCI, Pontificatus Nostri Decimoquarto.

LEO PP. XIII.

#### IV.

### Erlaß des k. k. Finanz-Ministeriums

betreffend die Verleihungs-Gebühren für geistliche Ämter und Dienststellen.

Die k. k. Finanz-Bezirks-Direktion hat unter dem 24. August d. J. Nr. 13.624 Folgendes anher zur Kenntniß gebracht, als:

„Das k. k. Finanz-Ministerium hat mit Erlaß vom 23. Juni 1891 Z. 45.278 mit Beziehung auf den Erlaß vom 8. März 1889 Z. 22.769, mit welchem wegen Vergebührung der durch die Ordinariate verfügten Dienstverleihungen im niederen Clerus einige Weisungen ertheilt worden sind, einentheils zum Zwecke der einheitlichen Gebührenbemessung von den Verleihungen aller — namentlich auch der höheren — geistlichen Ämter und Dienstposten, anderntheils zur Vermeidung von mehrfach wahrgenommenen, mit den erzielten Erfolgen meist in keinem Verhältnisse stehenden Weitwendigkeiten — Folgendes zur Darnachachtung in Erinnerung gebracht:

#### I. Allgemeine Bestimmungen.

a) Der in der Tarifpost 23 (Schlagwort: Beneficienverleihungen) und in der Tarifpost 40 des Gesetzes vom 13. December 1862 angeordneten Gebühr unterliegen gemäß § 17 dieses Gesetzes alle Besetzungen geistlicher Benefizien, kirchlicher Ämter und Dienstposten, welcher Art immer, und zwar sowohl der höheren als der niederen, ohne Unterschied der Confession, wenn mit denselben ein selbstständiges Einkommen verbunden oder zugesichert ist, dies zwar auch ohne Unterscheidung, ob die Verleihung auf dem Willensakte einer Person (z. B. nominatio regia, collatio libera, u. s. w.) oder auf Willenseinigung mehrerer Personen (Präsentation und Investitur, Wahl, u. s. w.) beruht.

b) Die nach den bezogenen Gesetzesstellen entfallenden Gebühren sind durch das Vorhandensein einer schriftlichen Beurkundung der erfolgten Übertragung des Benefiziums, Amtes oder Dienstpostens bedingt.

Eine solche Beurkundung ist nicht blos dann vorhanden, wenn wegen der Übertragung eines geistlichen Amtes an den Bestellten ein Aufstellungsdecret (Schlagwort: Aufstellungsdecrete des Gebührentarifes vom Jahre 1862), ein Bestallungsbrief (Schlagwort: „Bestallungsbriefe“ des Gebührentarifes vom Jahre 1850) ausgesertigt wird, sondern es genügt, bei den der Gebühr nach Absatz a der bezogenen Tarifpost 40 zugewiesenen Verleihungen geistlicher Ämter und Dienststellen, wenn über dieselben ein Ernennungs- (Wahl-) Act errichtet und hinterlegt wird.

c) Bei den nach den vorcirirten Gesetzesstellen entfallenden, nach den unten folgenden Bemerkungen zu berechnenden Gebühren für die urkundliche Verleihung von geistlichen Ämtern und Dienstposten, ist eine Entrichtung mittelst Stempelmarken am Verleihungsacte nur dann zulässig, wenn in demselben der Geld-

werth der Jahresgenüsse, nach welchen sich die Gebühr richtet, auf die im § 4 B des Gesetzes vom 9. Februar 1850 angegebene Art ausgedrückt ist.

In allen anderen Fällen tritt gemäß § 5 B b des leichterirten Gesetzes die unmittelbare Gebührenentrichtung und nach § 43 ebenda die Verpflichtung ein, die erfolgte Verleihung zur amtlichen Bemessung der Gebühren anzugeben.

Da der erste Fall sich wohl sehr selten ereignen wird, vielmehr in der Regel die ziffermäßige Bewerthung des Einkommens, z. B. der Werth einer Naturalwohnung, im Verleihungsacte nicht ausgedrückt ist, so ergibt sich, daß in Wirklichkeit wohl die meisten Besetzungen der geistlichen Benefizien, kirchlichen Aemter und sonstiger Dienstesposten zur amtlichen Bemessung der Gebühren werden angezeigt werden müssen.

d) Die rechtzeitige Erfüllung der Gebührenpflicht obliegt gemäß § 44 1. c, § 64, Abs. 1, und § 68 Abs. 1, des Gesetzes vom 9. Februar 1850 dem kirchlichen Obern (Communität, welche die Wahl vornimmt) solidarisch mit demjenigen, welchem das geistliche Amt oder der Dienstposten verliehen wird.

Die Unterlassung in der Erfüllung der gesetzlichen Gebührenpflicht hemmt nicht nur nach § 2 des Gesetzes vom 18. März 1878 die Verjährung des Bemessungsrechtes hinsichtlich der einfachen Gebühr, sondern zieht auch die im § 79 des Gesetzes vom 9. Februar 1850 vorgesehenen Straffolgen nach sich.

## II. Anwendung der gebührengeschlichen Bestimmungen auf die Verleihungen geistlicher Aemter und Dienstposten in den verschiedenen Confessionen.

### A. In der katholischen Kirche.

#### a) Bei kirchlichen Aemtern, welche mit oder ohne Investitur auf Lebenszeit verliehen werden.

Für die Verleihung solcher Aemter, zu denen namentlich die Ernennungen, resp. Wahlen aller Erzbischöfe, Bischöfe, Domherren, weltgeistlicher Seelsorger (Pfarrer) ausnahmslos gehören, ist die in der Tarifpost 40 a festgesetzte Gebühr auf Grund der vorzulegenden, von der politischen Landesbehörde nach dem Zeitpunkte der erfolgten Besetzung adjustirten Ertragsausweise aus dem zehnfachen des reinen Einkommens (§ 16 c Geb. Ges.) zugänglich des aus eventuellen Zinsfassionen oder im Wege des Uebereinkommens (§ 54, Geb. Ges.) zu ermittelnden Werthes der Naturalwohnung (Residenz) zu bemessen.

Zum Zwecke dieser Gebührenbemessung hat eine weitere Prüfung des von der politischen Landesbehörde ermittelten Reineinkommens in der Regel nicht mehr stattzufinden.

Zusbesondere ist bei allen selbstständigen Seelsorgposten, welche eine Dotationsergänzung zur Congrua aus dem Religionsfonde genießen, ausnahmslos lediglich das nach dem jeweiligen Congruageze (derzeit Gesetz vom 19. April 1885, R.-G.-Bl. 47 und Ministerial-Verordnung vom 29. Jänner 1890, R.-G.-Bl. 7) gewährleistete Minimal-Einkommen (Congrua), zugänglich des nach vorstehenden Grundsägen zu ermittelnden Werthes der Naturalwohnung (Residenz) als Bemessungsgrundlage anzunehmen.

Anmerkung. Im Zweifel, ob es sich in einem concreten Falle um eine Dienstverleihung auf Lebenszeit handle oder nicht, ist die Wohlmeinung der politischen Landesstelle als Cultusbehörde einzuhören.

#### b) Bei kirchlichen Aemtern und Dienstposten, welche blos zeitweilig, durch beliebig abzuberufende Funktionäre besetzt werden.

Für die Besetzung solcher Posten, zu denen namentlich die Bestellungen der Hilfspriester (Cooperatoren, Kapläne u. s. w.) gehören, ist die in der Tarifpost 40 a festgesetzte Gebühr blos aus dem dreifachen der Jahresgenüsse (§ 16, Absatz e, Geb. G.) zu bemessen.

Befindet sich der Hilfspriester im Genüze eines selbstständigen, für den bekleideten Posten gestifteten Einkommens, so hat die adjustirte Fassion in allen Fällen, wo das Einkommen ganz oder theilweise aus dem Religionsfonde bestritten wird, die nach den vorcirirten Gesetzen und dem Gesetze vom 13. April 1890 Reichsgesetzblatt 65, entfallende Hilfspriester-Congrua und zwar ohne Veranschlagung des Wohnungswertes die Bemessungsgrundlage zu bilden.

Auch in Fällen, wo der Hilfspriester zur Gänze vom Pfarrer aus dem Pfändenvermögen erhalten wird, hat die gesetzliche Congrua als Bemessungsgrundlage zu dienen.

Bezüglich der Bestellung von Pfarr-Administratoren, Provisorien, findet das Finanz-Ministerium für allemal zu gestatten, daß die Gebühr gemäß Tarifpost 40, Absatz a nach Scala II und nachhinein nur von demjenigen Betrage der gesetzlich normirten Provisionseentlohnung gefordert werde, welchen der Bestellte während der Dauer seiner Dienstleistung tatsächlich bezogen hat, wobei die Bezüge einer dreijährigen Administration (Providirung) das Höchstmaß der Bemessungsgrundlage bilden. Hierbei ist es gleichgültig, in welcher Form der Provisor diese Entlohnung bezieht, ob in Geld aus dem Religionsfonde, oder in Geld und Naturalien aus dem Pfründeneinkommen.

### Beförderungen und Versekungen.

Wenn ein Priester, welcher bereits ein geistliches Amt oder einen geistlichen Dienstposten, welcher Art immer innehatte, von demselben Ordinarius ein anderes geistliches Amt oder einen anderen Dienstposten erhält, oder wenn seine Bezüge auf demselben Posten erhöht werden, so wird gemäß Anmerkung 3 zur citirten Tarifpost 40 a auf die vorausgegangenen Dienstverleihungen, beziehungsweise von den früheren Bezügen bereits entrichteten Gebühren dann Rücksicht genommen, wenn dieselben nach dem Absätze a dieser Tarifpost Scala III bemessen worden sind.

Ist die neu verliehene Stelle höher dotirt als die früher bekleidete, so findet von der ersten die Gebührenbemessung nur aus dem nach vorstehenden Grundsätzen festzustellenden Mehrgenüze statt, dieß aber auch nur unter der Voraussetzung, daß die Entrichtung dieser Gebühr von dem früher erlangten Genüze, beziehungsweise die Befreiung von derselben nach den zur Zeit in Wirkamkeit gewesenen Gesetzen nachgewiesen wird.

Hiernach sind z. B. Ernennungen (Wahlen) oder Vorrückungen von Domherren auf höher dotirte Stellen im Capitel, Versezungen von selbstständigen und Hilfspriestern auf höher dotirte Posten innerhalb derselben Diöcese, Beförderungen von Hilfspriestern zu Pfarrern, Erhöhungen des Einkommens durch Congrua-Ergänzung u. dgl. zu behandeln.

Ist die von demselben Ordinarius verliehene Stelle gleich oder minder dotirt, so ist nach Anmerkung 3 zur mehrbezogenen Tarifpost und nach Tarifpost 101, II b jedenfalls der Stempel von 50 kr. zur Beurkundung zu verwenden.

### Regular-Clerus.

Die Bemessung des einviertelprozentigen Pauschales nach Anmerkung 4 zur Tarifpost 40 a von der Besetzung (Wahl) der Vorsteherstellen geistlicher Communitäten, in welchen für diesen Posten und für die sonstigen Aemter keine abgesonderten Dienstesentkünfte bestimmt sind, ist nach den Bestimmungen des Finanz-Ministerial-Erlasses vom 17. Juni 1863, Verordnungsblatt 29 und des Finanz-Ministerial-Erlasses vom 14. August 1880, §. 18.132 vorzunehmen; es wird jedoch aufmerksam gemacht, daß bei Bemessung des Pauschales für die Wahl des Vorsteher der jener Regular-Communitäten, welche incorporirte Pfarren zur Besetzung zugewiesen haben, nicht nur das reine Jahres-Einkommen des Stiftes, Klosters u. s. w., sondern auch das Rein-Einkommen der incorporirten Pfarren in Ansatz gebracht werden muß, wogegen dann selbstverständlich für die Besetzung dieser letzteren eine Dienstverleihungs-Gebühr nicht zu bemessen ist.

Hievon beehtet man sich in Folge des Erlasses der k. k. Finanz-Landes-Direction in Graz ddto. 8. v. M., §. 10.077 das hochwürdige fürstbischöfliche Ordinariat mit dem Beisätze zu verständigen, daß um die ausnahmslose unmittelbare Abstattung der entfallenden Stempelgebühren angefucht werden kann. Bei einer solchen, mehrfache Erleichterungen in sich schließenden Entrichtungsweise, wie sie z. B. dem bischöflichen Consistorium in Königgrätz mit dem Ministerial-Erlasse vom 14. Februar 1891, §. 1683, bewilligt wurde, sind blos sämmtliche vollzogenen Dienstesbestellungen unter Angabe der Bemessungsgrundlagen dem Bemessungs-amte periodisch mitzutheilen und ist das Finanzministerium geneigt, durch Erstreckung der Ausweis-Termine dem — bei Verwendung von Stempelmarken zum Verleihungsacte vorkommenden, mehrfach beklagten Nebelstande, daß abgelehnte Berufungen mit einer Gebühr getroffen werden, Rechnung zu tragen; auch würde bei

einer solchen unmittelbaren Gebührenabstättung erzielt, daß blos vorübergehende Bestellungen die Gebühr nur von den thatfächlich bezogenen Genüssen zu tragen hätten.

Ebenso würde bei dieser sonach stattfindenden umfassenden Anzeigung vorkommender Bestellungen vermieden, daß die sonst bei unterlassener oder nicht vorschriftsmäßiger Verwendung von Stempelmarken nach § 39 des Gebühren-Gesetzes vorgesehenen Straffolgen eintreten.“

Wird dem Wohlehrwürdigen Diöcestan-Clerus zur Benehmungswissenschaft mitgetheilt.

## V.

### Erlaß des k. k. Ministeriums des Innern vom 29. Sept. d. J. B. 19.112, wonach bei den statistischen Ausweisen über die Volksbewegung die Nachweisung der durch Scheidung ausgelösten Ehen zu entfallen hat.

Die k. k. steiermärkische Statthalterei hat unterm 5. October d. J. B. 22.797 Nachstehendes auher mitgetheilt:

„Nachdem die Gerichte mit der Verordnung des k. k. Justiz-Ministeriums vom 15. November 1885, Bl. 21.160 ex 1884 (J.-M.-B.-Bl. Nr. 76 ex 1885) verpflichtet worden sind, in jedem einzelnen Falle der Aufhebung der ehelichen Gemeinschaft (Scheidung von Tisch und Bett, und zwar einverständliche oder processuale, Trennung der Ehe, Eheungiltigkeitserklärung) umfassende Daten der k. k. statistischen Central-Commission einzusenden, findet das k. k. Ministerium des Innern eine Änderung und zugleich Vereinfachung in den vierteljährig zu erstattenden statistischen Ausweisen über die Bewegung der Bevölkerung dahin eintreten zu lassen, daß in Hinkunft in der Tabelle I über Trennungen von der bisherigen summarischen Nachweisung der durch Scheidung aufgelösten Ehen und sonach der Ausfüllung der bezüglichen Rubrik Umgang genommen werde.“

Hievon werden die F.-B. Pfarrämter zur Daranachtung verständigt.

## VI.

**Dr. Josef Helfert's Anleitung zum geistlichen Geschäftsstyl** ist nach dem neuesten Stande der österreichischen Gelehrtengabe bearbeitet, verbessert und vermehrt soeben in elfster Auflage erschienen und ist selbe von der Verlagsbuchhandlung Fr. Tempsky, Wien, I., Tuchlaube 10, zum Preise (geheftet) 4 fl., (in Halbsfranzleinband) 5 fl. 20 kr., zu beziehen, welches Werk hiemit dem hochwürdigen Clerus bestens empfohlen wird.

## VII.

### Diöcestan-Nachrichten.

Investirt wurden: Herr Josef Jurčič auf die Pfarre St. Leonhard in W. B., Herr Ferdinand Šostarič auf die Pfarre Kleinhonntag und Herr Franz Heber auf die Pfarre hl. Dreikönig in Studeniz.

Bestellt wurden: Herr Ignaz Rom als Provisor in Trennenberg, Titl. Herr Johann Strah, Pfarrer in St. Ruprecht in W. B., als Mitprovisor von St. Wolfgang bei Viš und Ternovez und Herr Georg Purgaj als Provisor in Schleinitz bei Cilli.

Angestellt wurden: Herr Ludwig Hudoverník als 2. Kaplan und Herr Johann Vreža als 2. Chorvikar an der Dom- und Stadtpfarrkirche zu Marburg.

Wieder angestellt wurden: der gewesene Diakonpriester Herr Johann Tomanič als Kaplan in Zaring und Herr Franz Moravec, Provisor in Kleinhonntag, als Kaplan dafelbst.

Uebersezt wurden die Herren Kapläne: Johann Rotner nach Rohitsch und Franz Časl nach St. Marein.

Neuangestellt als Kapläne wurden die Herren: Franz Višnar in Leutsch, Barthlmä Vurkele in Přihova, Alois Šoba in Záveri bei Oberburg und Alois Cilenšek in St. Marzen bei Pettau.

In den zeitlichen Deficientenstand trat Herr Johann Zadravec, Kaplan in St. Marzen bei Pettau.

Gestorben sind: Titl. Herr Franz Slanič, f. b. geistl. Rath und Pfarrer zu St. Wolfgang bei Viš und Ternovec, am 13. September im 72., Herr Jakob Mastnak, Pfarrer in Schleinitz bei Cilli, am 24. September im 67. und Herr Anton Breznik, Deficientpriester in St. Andrej in W. B., am 16. October im 56. Lebensjahre.

Unbesetzt ist geblieben die Kaplanei in Schleinitz bei Cilli.

## F. B. Lavantter Ordinariat in Marburg, am 31. October 1891.

† Michael,  
Fürstbischof.

1891